# GAUDEAMUS

**1**
**Gaudeāmus igĭtur,**
**Juvĕnes dum sumus!**
**Post jucundam juventūtem,**
**Post molestam senectūtem**
**Nos habēbit humus.**
**2**
**Ubi sunt, qui ante nos**
**In mundo fuēre?**
**Transeas ad supĕros,**
**Transeas ad infĕros,**
**Hos si vis vidēre!**
**3**
**Vita nostra brevis est,**
**Brevi finiētur.**
**Venit mors velocĭter,**
**Rapit nos atrocĭter,**
**Nemĭni parcētur!**
**4**
**Vivat academia!**
**Vivant professōres!**
**Vivat membrum quodlĭbet,**
**Vivant membra quaelĭbet,**
**Semper sint in flore!**

**5**
**Vivat et res publĭca,**
**Et qui illam regunt!**
**Vivat nostra civĭtas,**
**Maecenātum carĭtas,**
**Qui nos hic protēgunt!**
**6**
**Vivant omnes virgĭnes,**
**Gracĭles, formōsae!**
**Vivant et muliĕres,**
**Tenĕre, amabĭles,**
**Bonae, laboriōsae!**
**7**
**Perĕat tristitia,**
**Perĕant dolōres!**
**Perĕat diabŏlus,**
**Quivis antiburschius**
**Atque irrisōres!**